

Quando imperator Fredericus pacem apud Constantiam
reformavit plenariam.

CAP. LXXXIV.

Sub anno Dominice incarnationis MC octuagesimo III, in mense madii [A] apud
Constantiam, dominus Imperator cum civitatibus Lombardie, Marchie [B] atque
Romanie, Bononia scilicet et Faventia (75), pacem reformavit plenariam, quibus et
libertatem maximam sive multam concessit et, quod ab eis [a] recipere voluit, re-
digi in scriptis [b] præcepit.

De discordia inter Faventinos et montanarios suos.

CAP. LXXXV.

Anno a nativitate Iesu Christi secundum carnem MCLXXXIII, pace reformata inter
dominum imperatorem Fredericum, apud Constantiam, et Lombardos, ipsi Lombardi
et Bononienses ac Faventini in quantitate magna pecuniam prædicto obtulerunt do-
mino [c]. Quapropter Faventini, suos volentes [e] colligere montanarios [d], et cete-
ros districtus fumantes [e], montanarii collectam eis dare penitus prohibuerunt. Qua-
re Faventini, vehementer irati, manu armata pleraque in montanis [f] aggressi sunt
castella, vineas et segetes hostiliter devastantes. Cum autem juxta Montebellum [g]
reverterentur, via quadam satis aspera atque declivi, sequentibus hostibus, multi
passi sunt præcipitium. Cives itaque, in consules [D] non modicum accensi, et quia
illos in anno illo [h] male vexarant, anno sequenti MCLXXXIII, Guilielmum Burrum

[a] et quod ab eis. Sic lego. C. V. habet, et quae ab eis. — [b] redigi in scriptis. Sic Codd. —
[c] Faventini suos volentes. Sic Codd. Corrige; faventinis suos volentibus. — [d] colligere montanarios. Sic
Codd. Valet hic pro imponere collectam, id est, ut vulgo vocant, accollettare, o mettere alle colle, o col-
lette. — [e] fumantes, sive in agris degentes. Firmantes, C. V. et Cl. Mitt. — [f] pleraque in monta-
nis, C. M.; pluraque in montanis, C. V. — [g] juxta Montebellum, C. M. — [h] in anno illo, C. M.;
anno illo, C. V.

[A] Cl. Muratorius (*Diss.* 48, *Antiq. Ital.*) debet non mense madio, sed die 25 junii, pacem
Constantiae celebratam fuisse.

[B] Marchiae. Hic Marchiam Tarvisiniam intelligendam esse auctor est Cl. Muratorius.

[C] Quod Cl., Muratorius (*Annal. Ital.*) tantum suspicatus est; nimirum pro obtenta pace a ci-
vitatibus magnam vim pecuniae Friderico solutam fuisse; Tolosanus pro certo habet, et extra omnem
dubitationem collocat.

[D] In charta anni 1184, sub die 14 julii, existente apud Archiv. Azzurr., nominatur dnus Guil-
lielmus Burrus potestas Faventiae cum Bernardo Sapiente, Auliverio Arpini, Iacobo Drudonis, Or-
lando Zocolo, Silvestro, Guidone Bocaccii, Dominico de Guillarino, Alberto Novo, Alimano fabro,
Manducafero, Alberto Aurci, Brunicto fabro, et Denago notario, tunc consilibus Faventinis.